



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 68. Capitulum 18vum, qualiter, & à quibus possit dispensari in
Abstinentia, ejusdemque Capituli Statuta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

Gen. totius Ordinis Statuta condidit pro hoc Ordine, ut constat ex literis ejus ad universam Religionem expeditis ex Conventu S. Joannis Regum Tolet. 1609. 19. Jul. quæ postmodum approbata sunt à Capitulo Gen. Segovix 1621. in quibus ordinatur : quòd Institutum Tertii Ordinis publicetur per omnes villas, & loca ; in quibus non sunt Conventus. Et quilibet Guardianus mittet ad loca districtus sui [ubi non fuerint Conventus] Religiosum aliquem devotum, qui ad tempus habeat Commissionem dandi Habitum illis, quos idoneos invenerit, præviis tamen informationibus, prout ordinatur in Regula. Et in locis (in quibus fuerint Vicarii Monialium) dabitur iisdem hæc Commissio, dandi aliis Habitum, & sumendi informationes. In iisdem Statutis etiam datur facultas Guardianis, in omnibus Guardianiæ suæ locis personas ad Habitum, & Professionem assumendi, absque eo, quòd expectent novam auctoritatem à suis Provincialibus. Item secundum Regulam possunt designare Visitatores hujus Ordinis ; sique velint, poterunt per seipsos visitare. In locis autem remotioribus, si ibidem sint Parochi Confratres, poterit iis dare commissionem, sumendi personarum informationem, easque Habitu vestiendi. Eademque commissio poterit dari F. Prædicatori ad ea loca excurrenti, semper iis præscribendo : ut de omnibus accuratam dent rationem. Inhibetur autem in iisdem Statutis omnibus Fratribus ; ne Communitatem aliquam instituunt. Permittitur tamen iis, ut faciant Congregationes C. 14. relatas. Itaque in pagis poterunt Fratres & Sorores sollicitare, ut Sacerdos aliquis à P. Guardiano petat, & impetret suam auctoritatem illis assistendi, uti Visitator Religiosus assistit Fratribus in oppidis, in quibus sunt Conventus ; poteruntque similiter suas Congregationes & Electiones Officiorum facere. Nihilominus ad Visitato-

Vinea Seraphica.

rem Religiosum pertinet singulis annis visitare Fratritates Tertii Ord. per totam Guardianiam, si ipse Guardianus id recuset. In Ecclesiâ verò FF. Minorum functionibus & exercitiis suis deputatâ lucrabuntur Jubilæa, & Indulgentias Ordinis immediatè, vel per participationem, Filiis Tertii Ordinis, eorumque Ecclesiis, & Capellis concessas.

De vitandis litigiis inter se, & cum aliis.

CAPITULUM XVII.

LXXVII. **V**itent Fratres & Sorores pro posse, inter se, & cum aliis litigia, & contentiones. Quas si excitari contigerit, pacificè contentur eas dirimere ; alioquin coram illo responsuri (responsuræ) penes quem de Jure, eas dirimendi, potestas residet.

Statuta Capitulo huic addenda non occurrunt. Qualiter, & à quibus dispensari possit in Abstinentia?

CAPITULUM XVIII.

LXVIII. **O**rdinarij, aut Visitator cum Fratribus omnibus, & Sororibus, ex causa legitima, in abstinentiis, jejuniis, & aliis austeritatibus [cùm expedire judicaverint] dispensare poterunt.

STATUTA CAPITULI XVIII.

Quamvis Regula dicat, ut dispensetur in jejuniis, cum iis, qui non possunt jejunare ; injungimus tamen P. Guardianis, (qui sunt Ordinarii, de quibus hoc Capitulum loquitur) & Visitatoribus, ut abstinentias, & jejunia commutent in alia charitatis opera V. G. pro Defunctis orare. Missas audire. Eleemosynas dare. Poterunt etiam jejunia commutare in eleemosynam quolibet mense dandam ; uti dictum C. 14. Regulæ, fieri posse pro alijs pijs operibus in Regula præceptis.

L

CON-